



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 7. Utrùm Augustinum inter & Semipelagianos controversia fuerit de gratia irresistibili ex natura sua, seu de gratia dominante & necessitante.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

nos laudibus extollit, & deprimit Prosperum Catholicæ de gratia doctrinæ defensorem. Ergo Semipelagiani confessi sunt, internæ inspirationis prævenientis necessitatem ad salutis initia, adeoque ad fidem, salutis desiderium, &c.

R. verbis Gennadii citatis, non Semipelagianorum, sed Catholicum dogma de gratia contineri. In illis enim dicit Gennadius, 1. Omnes omnino actus salutare, quibus ad justificationem disponimur, præveniri gratia inspirationis: *Initium salutis nostra, Deo miserante, habemus.* 2. Nos prævenienti inspirationi consentire vel dissentire posse pro arbitrio: *Ut acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostra potestatis est.* 3. Cum à Deo justificamur, nos gratis justificari: *Ut adipiscamur, quod, acquiescendo admonitioni, cupimus, divini est muneris.* 4. Nostram in statu justitiæ perseverantiam pendere ab interioris gratiæ adjutorio, & à libera cooperatione nostra: *Ut non labamur in adepto salutis munere, sollicitudinis nostra est, & cælestis pariter adjutorii.* 5. Cum gratiam justificantem per mortalem aliquam culpam amittimus, hoc non Deo, qui neminem deserit, nisi prius ab eo deseratur, sed ignaviæ nostræ, & libertatis nostræ abusu tribuendum esse: *Ut labamur, potestatis nostra est, & ignavia.* Hæc autem placita qui Semipelagiana esse dixerit, non se Catholicum, sed Calvinistam probabit.

Præterea, ex eo, quod Gennadius in suo de viris illustribus libro propensiorum erga Semipelagianos animum ostenderit, perperam colligitur, quod illis confenserit in omnibus: vel si revera Semipelagianorum errores aliquando secutus est, certè dicendus est resipuisse, antequam scriberet librum suum de Ecclesiasticis Dogmatibus, aut denique hic liber, qui extat inter opera S. Augustini, non est Gennadii, sed alterius Authoris, Sanè hunc librum ab homine docto, Catholico, & à Pelagianorum & Semipelagianorum erroribus alieno exaratum esse, vel ex prima ejus lectione manifestum est.

Dices. Semipelagianum se ostendit, qui laborem & sollicitudinem nostram cum adjutorio gratiæ conjungit in negotio salutis, & dicit nostræ potestatis esse, ut acquiescamus salutiferæ inspirationi. Sed hoc utrumque facit Gennadius loco citato. Ergo, &c. R. neg. maj. alioquin. 1. Synodus Arausica fuit Semipelagiana: nam can. 27. conjungit laborem nostrum cum adjutorio divino: *Hic etiam, inquit, secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* 2. Synodus Tridentina fuit Synodus Semipelagianorum. Nam sess. 6. cap. 5. docet, hominem abicere posse inspirationem divinam; & can. 4. anathematizat eos, qui dicunt, hominem Deo excitanti atque vocanti dissentire non posse, si velit. Itaque Semipelagianos est, non qui laborem & sollicitudinem nostram conjungit cum inspiratione divina, sed qui laborem, & sollicitudinem nostram inspirationi divinæ, non inspirationem divinam labori & sollicitudini nostræ præire docet. Item Semipelagianus est, non qui dicit nostræ potestatis esse, ut acquiescamus salutiferæ inspirationi, sed qui dicit in nostra potestate esse salutiferam inspirationem. Malè ergo Semipelagianorum de gratia doctrinam exponere dicitur Gennadius, vel quicumque alius author est libri citati.

ARTICULUS VII.

Utrum Augustinum inter & Semipelagianos controversia fuerit de gratia irresistibili & infirmitate ex natura sua, seu de gratia dominante & necessitante.

RESPONSIO.

Augustinum inter & Semipelagianos controversia non fuit de gratia dominante & necessitante, sed de necessitate interioris gratiæ prævenientis ad quemlibet actum salutarem, adeoque etiam ad fidem inchoatam & imperfectam.

Prob. ex ipso S. Augustino, qui lib. de præd. Sancti cap. 2. statum controversiæ suæ cum Massiliensibus exponit his verbis: *Prius itaque fidem, qua Christiani sumus, donum Dei esse debemus ostendere, si tamen diligentius id facere possumus, quam in voluminibus tot tantisque fecimus. Sed nunc eis respondendum esse video, qui divina testimonia, quæ de hac re adhibuimus, ad hoc dicunt valere, ut noverimus ex nobis quidem nos habere ipsam fidem, sed incrementum ejus ex Deo; tanquam fides non ab ipso donetur nobis, sed ab ipso tamen angeatur in nobis eo merito quo cœpit à nobis.*

Augustini igitur controversia cum Semipelagianis fuit circa fidem initialem, quam Augustinus cum omnibus Catholicis contendeat donari à Deo; Semipelagiani verò negabant, & volebant illam in nobis esse à nobis, Deumque eam expectare, ad retribuendam ejus merito prævenientem gratiam interiorem, ad omnia virtutum opera necessariam. Ex quo sequebatur manifesta absurditas, interiori scilicet gratiam, qua fitebantur præveniri omnia virtutum opera, quæ proinde dona Dei esse concedebant, interiori, inquam, illam gratiam non esse gratiam, quoniam secundum illos non daretur gratis, & gratia non sit gratia, nisi gratis detur. Cum autem testimonia, ab Augustino in suis contra Pelagianos libris ad probandum fidem esse Dei donum allata, vellemus intelligi Massilienses de actu perfecto fidei, non de inchoato & imperfecto, librum de præd. Sancti scripsit S. Augustinus, ut ostenderet ipsum etiam fidei initium esse donum Dei; quod re ipsa hoc libro executus est, non probando gratiæ irresistibilis & infirmitatis ex natura sua ad credendum necessitatem, sed ostendendo hominem nunquam credere, nisi interiori inspirationis gratia præveniatur, moveatur, roboretur, adjuvetur.

At inquit. Semipelagiani negabant initium fidei donari à Deo, quia volebant ad illud prærequiri gratiæ dominantis & necessitante adjutorium, contendeantque sufficere prævenientem gratiam interiori, ex natura sua repudiabilem. Ergo, &c. R. neg. ant. Negabant enim Semipelagiani initium fidei donari à Deo, quia volebant ad illud sufficere naturales liberi arbitrii vires, adeoque hominem ad incipiendum credere, interioris gratiæ prævenientis auxilio non indigere.

Augustinum igitur inter & Semipelagianos questio non fuit, tantum ad utrum fidei sufficeret interior gratia repudiabilis, an è contra irrepudiabilis requireretur: sed quæstio fuit utrum ad initium fidei sufficeret Evangelii prædicatio cum naturæ viribus; an verò præterea requireretur interior gratia, non solum illustrationis, sed etiam inspirationis, prævenientis actum credendi, & ad credendum excitantis, atque adjuvantis.

Dices. Semipelagiani negabant fidem esse donum Dei, quia volebant eam à Deo inspirari credentibus. Ergo negabant fidem esse donum Dei, quia volebant eos, qui re ipsa credunt, à Deo necessitari ad credendum, sed solum à Deo ad credendum per interiori gratiam repudiabilem excitari & adjuvari volebant. R. neg. conseq. Neque enim, fidem inspirari credentibus, & credentes necessitari ad credendum, sunt unum & idem. Et verò Catholici omnes profitentur, fidem à Deo inspirari credentibus, & tamen negant credentes à Deo ad credendum necessitari.

Nota. Deus potest credentibus fidem inspirare duobus modis. 1. Necessitando, seu irresistibiliter flectendo & applicando ad credendum. 2. Interius excitando & adjuvando ad credendum. Unde, fidem inspirari credentibus, & credentes necessitari ad credendum, non sunt synonyma, aut convertibilia, sed primum latius patet, quam secundum, & se habet ad illud, ut superius ad inferius. Hinc qui præcisè dicit, fidem à Deo inspirari credentibus, non dicit credentes à Deo necessitari ad credendum. Nam ex affirmatione superioris non sequitur affirmatio unius inf-

inferioris determinatæ. Quare Catholici dicere possunt, fidem à Deo inspirari credentibus, & simul negare, credentes ad credendum necessitari: quamvis qui simpliciter negat, à Deo fidem inspirari credentibus, non solum neget, credentes à Deo necessitari, sed etiam neget intrinsecè excitari & adjuvari ad credendum, quia negato superiori, negantur omnia inferiora.

Semipelagiani itaque cum simpliciter negarent, fidem à Deo inspiranti credentibus, non solum negabant, credentes à Deo necessitari, sed etiam negabant, interius quovis modo excitari & adjuvari ad credendum. Unde sic argumentor breviter. Semipelagiani negabant fidem (supple semper, inchoatam & imperfectam) esse Donum Dei, quia simpliciter negabant, eam à Deo inspirari credentibus. Ergo negabant, fidem esse donum Dei, quia non solum negabant, credentes à Deo necessitari, sed etiam negabant, interius quovis modo excitari & adjuvari ad credendum. Ergo negabant, fidem esse donum Dei, quia volebant eam independentem esse ab omni interiore gratia præveniente, sive irrepuabili, sive etiam repudiabili ex natura sua.

Dices. S. Augustinus, ut ostendat initium fidei esse donum Dei, probat Deum facere, ut credamus; ut credamus, Deum præparare voluntatem; fidem electorum ab æterno prædefinitam fuisse per electionem gratuitam; fidem electorum effectum esse vocationis secundum propositum. Ergo S. Augustinus, ut ostendat fidem initialem esse donum Dei, probat eam esse ex interiore gratia, dominante, & necessitante ad credendum, adeoque de hac gratia controversia fuit Augustinum inter & Semipelagianos.

R. neg. conseq. Nam S. Augustinus probat quidem Deum facere, ut credamus; at non probat facere ut necessarii credamus.

Item probat, neminem credere, nisi dependentem à Deo præparante voluntatem: at præparare voluntatem, & eam necessitare, duo sunt, proindeque distinguenda, non confundenda; & tam Deus potest præparare voluntatem per interiolem gratiam repudiabilem, quam per interiolem gratiam necessitantem. Item probat Deum ab æterno prædefinisisse gratuitò fidem electorum; at non probat vi huius prædefinitionis dari electis in tempore, ut credant, interiolem gratiam irresistibilem & infrustrabilem ex natura sua; & Deus potest tam infallibiliter electos ad credendum permovere per gratiam repudiabilem, quam per irrepuabilem. Item probat electos non credere, nisi quia vocantur ea vocatione, quæ est secundum propositum: at non dicit vocationem hanc esse vocationem irresistibiliter flectentem & applicantem ad volendum. Dicit autem esse vocationem propriam electorum; esse vocationem, quæ effectus est gratiæ prædestinationis; esse vocationem, cum aliis similibus infallibiliter connexam cum perseverantia finali; esse vocationem, quæ infallibiliter operatur effectum, ad quem datur. Quæ omnia vera esse possunt, & sunt, quamvis hæc vocatio sit ex natura sua repudiabilis & frustrabilis.

S. Augustinus, ut ostendat fidem inchoatam esse donum Dei, probat eam interiore gratia præveniri, & non tantum præconio veritatis: ita ut, quantumvis prædicato nobis Evangelio, non credamus, nisi Deus intellectum & voluntatem nostram interiore sua gratia præveniat, & adjuvet ad credendum; atque ita non credamus, nisi Deus donet nobis fidem; Deus enim hoc ipso fidem donat nobis, quod ex absoluta & efficaci intentione fidem à nobis exprimendi, interiore gratia vocat nos, quomodo scit nobis congruere ut credamus, & interiore gratiæ liberè consentientes adjuvat ad credendum.

Semipelagiani è contra, ut ostenderent initium fidei non esse donum Dei, probabant, quantum poterant, illud non præveniri interiore gratia, sed solo præconio veritatis, & prædicato Evangelio, ad credendum naturæ vigorem sufficere, sicque fidem saltem initialem & imperfectam prodire ex solis naturæ viribus, atque promereri prævenientem

Simonnet Theol. Tom. II.

gratiam, deinceps necessariam ad opera virtutum exercenda.

Dices. S. Augustinus per interiolem illam gratiam, qua probabat præveniri initium fidei, intelligebat gratiam ex natura sua irrepuabilem, adeoque dominantem & necessitantem. R. neg. Intelligebat enim gratiam, de qua ait alicubi: *Misericordia Dei prævenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propria voluntatis est*: quæ profectò verba congruere non possunt vocationi, seu interiore gratiæ ex natura sua irrepuabili, quam proinde à voluntate repudiari repugnat. Porro de gratia, quam repugnat à voluntate repudiari, dici non potest, quòd ei consentire, vel dissentire possimus pro arbitrio.

Dices. Si ita est, quare ergo Prosper in sua ad Augustinum epistola ab eo enixè petit, ut exponat, quomodo gratia illa interior, sine qua dicit hominem non credere, aliudve bonum operari, concilietur cum arbitrii libertate: *Obsecro*, inquit Prosper, *ut digneris aperire, quomodo per istam, præoperantem & cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium?* Resp. hoc petere. 1. Quia S. Augustinus hanc præoperantem & cooperantem gratiam, sine qua nemo credit, aliudve bonum operatur salutariter, docebat esse planè indebitam & ita gratuitam, ut non possimus eam ullo modo promereri. At agrè intelligitur, quomodo finis verè liberi ad credendum, seu quomodo credere verè sit in nostra potestate, si ad credendum indigemus auxilio alieno, nobis planè indebito, & quod habere, seu promereri, in potestate nostra non est. 2. Quia S. Augustinus hanc præoperantem & cooperantem gratiam, sine qua nemo credit, docebat, effectum, ad quem datur, operari infallibiliter. At agrè intelligitur, quomodo liberè & ex propria determinatione credimus cum gratia, quæ prævenit voluntatem credendi, & eam infallibiliter operatur in nobis.

Dices. Ineptum est querere, quomodo gratia ex natura sua repudiabilis, non impediatur liberum arbitrium, seu libertatem indifferentiæ. R. ita esse. At hoc non quærebat Prosper, sed quærebat quomodo cum gratia ad credendum necessaria, quam habere in potestate nostra non est, & quæ, si detur, infallibiliter operatur effectum, ad quem datur; quomodo, inquam, cum tali gratia liberum agendi vel non agendi retineamus arbitrium? vel, si vis, quærebat Prosper, quomodo hæc præoperans & cooperans gratia cum sua infallibilitate & efficacia, posset esse verè repudiabilis ex se, atque ita liberum arbitrium non impedire?

Dices. Secundum nos, Prosper sciebat S. Augustinum per illam præoperantem & cooperantem gratiam intelligere interiolem gratiam repudiabilem, & talem esse ipse supponebat cum aliis Catholicis. R. Hoc quidem sciebat, & supponebat, sed non satis intelligebat, & idcirco explicationem petebat.

DISPUTATIO II.

De variis naturæ statibus.

ARTICULUS I.

Utrum possibilis sit status naturæ puræ.

NOta 1. In genere status naturæ, ut hic sumitur, est modus se habendi naturæ humanæ relatè ad finem suum ultimum secundum providentiæ divinæ ordinationem. Dividitur in statum viæ, & statum patriæ. Status viæ dicitur ille, in quo tenditur ad beatitudinem; status verò patriæ, in quo possidetur beatitudo. De hoc statu hic non agitur. Status viæ, de quo in hac Disputatione agendum est, subdividitur in statum naturæ puræ, statum naturæ integræ, statum naturæ innocentis, seu gratiæ sanctificantis, & statum naturæ lapsæ, ac reparatæ per Christum Redemptorem.

Nota 2. Status naturæ puræ est ille, in quo humana natura conderetur cum perfectionibus suis essentialibus naturalibus omnibus facultatibus, & concursu,